



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

§. 5. An peregrinus, & forensis teneatur legibus suae patriae quando alibi  
est, vbi non vigent;

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

solum requiritur habitatio, etsi modica sit: et ad dispensandum, & coniugendum matrimonio, & reliqua alia sacramenta, que necessaria non sunt, potest non solum habitatio pro maiori anni parte, sed que vetè domicilium constituat, requiri, vt docet Azor tom. 1. lib. 5. cap. 11. quest. 3. sine, & alij multi relati à Sanchez illa disp. 18. Adde non ex eo, quod Episcopus non possit ordinare, & confirmare viatorem, nisi residentem maiori anni parte, inferatur non posse suis legibus illum adstringere. Ergo neque etiam ex eo, quod non possit coniungere matrimonio, vel dispensare, debet inferri: ex vna enim potestate ad aliam non procedit argumentum. Et ratio omnium est, quia potestas obligandi legibus, ex bono reipublice, in qua forensis moratur, procedit: quod bonum cum adsit, etiam si breuissimo tempore ibi exsistat, tribuit potestatem: at potestas dispensandi, & coniugendi matrimonio, respicit bonum ipsorum, qui coniugendi, vel dispensandi sunt. Non ergo est mitum si remittatur ad proprium pastorem, & denegatur facultas ei, qui ex accidenti solum proprius est.

Ad tertiam tamen quælibet Sacerdotum debere celebrare iuxta morem suæ patrie, vel in azyano, vel in fermentato, quia ita specialiter est constitutum in Conc. Florentino sub Eugenio IV, ob seruandam pacem, & vniõnem inter Ecclesiam Græcam, & Latinam: ex quo ad alios casus non licet arguere; imò potius ex hoc priuilegio licet inferre obligandos esse viatores: et conformare legibus loci, qua transeunt, in omnibus illis casibus, in quibus non est speciale priuilegium, quia exceptio firmat regulam in contrarium.

Ad quartam rejicienda est expositio glossæ dicentis, ieiunare in Sabbato, vel non ieiunare, liberam esse obseruationem quæuis ad extraneos, non quantum ad incolas; omnes enim adstringuntur, vt diximus, consuetudine recepta: quare expositio legitima est. S. August. ait, hoc genus rerum liberam habere obseruationem, quia liberam est cuiilibet populo sine præiudicio fidei, quod in hac parte liberetur, obseruare; cum tamen in rebus ad fidem pertinentibus hæc libera obseruatio admitti non debet.

Ad quintam iam constat, qua ratione viatores non solentur forum loci, qua transeunt, vt possint, inquam, ibi conuocari, quando scilicet ex mutuo consensu, vel ex natura contractus, alibi est destinata solutio; secus verò dicendum de solennitatibus, & conditionibus in contractu requisitis.

Ad sextam concedo legato fundus, non legari seruos, qui ibi casu sunt; non enim ex eo, quod quis habet dominium alienum rei, debet illud habere omnium illarum rerum, quæ ibi existunt: at vbiunque aliquis sit, necessario iurisdictioni illius reipublice subijci debet, quia ad rectam gubernationem hæc subiectio pertinet. Ea autem, quæ adducuntur ex cap. nam & ego, &c. ad vstram, de regularibus optimè explicat Suarez illo cap. 14. de relig. num. 25. ait enim cum Panormit. dici per quandam metaphoram, & impropriam non durate ea quæ breui tempore durant, non quia vetè non darent: sicut Pontifex vnus dicit, vetè Pontifex est, & inter Pontifices numeratur, etsi postea reputari per metaphoram quando, ac si non fuisset: cum autem in præsentem non de metaphoram, & improprie, sed de veritate sermo sit, an scilicet legibus loci teneatur, qui vetè in loco existit, dum ibi permanet, non debemus ad metaphoram recurrere. Adde Salomonem dici vnguentum, quia ex legitimo matrimonio vnguentus fuit, textus verò in cap. ad vstram de regularibus, fundabatur in præsuppositione, præsumebatur enim monachum illum non consensisse in professione, cum tam breui tempore ab ea resisteret: at obligatio viatorum ad leges loci, qua transeunt, non in præsuppositione animi, sed in vera loci existentia, & vniõne cum reliquis de ciuitate fundatur.

Ad septimum iam diximus, non solum statutum, sed etiam sententiam comprehendere subditos intra territorium existentes, secus extra morantes.

Ad vltimum nego infideles non teneri legibus politicis loci, qua transeunt; concedo tamen non teneri legibus Ecclesiasticis, quia sunt extra iurisdictionem Ecclesie. Idem dicendum est de regularibus, quia exempti sunt, non obligati legibus, cuiuslibet Episcopatus, nisi in casibus à iure expressis: at obligantur legibus illius conuentus, qua transeunt. Nouitij autem, etsi non teneantur legibus professorum, quia non sunt professi: at adstringuntur aliquibus legibus propriis, quæ statum suum respiciunt. De sacerdotibus celebrantibus more suæ patrie iam dictum est.

§. IV.

Quid dicendum de vagis: qua ratione legibus teneantur.

- 1 Quis sit vagus.
- 2 Hos non teneri legibus loci qua transeunt, sicut peregrini, & forenses, affirmant aliqui.
- 3 Reprobatur hæc sententia.

- 4 Vagus puniri potest à iudice loci, in quo capitur, tamen si forensis non possit.
- 5 Probabilius est remittendum esse ad locum delicti, si petatur à iudice illius.

**V**agus est, qui nullibi habet certam sedem; quare qui alibi habuit domicilium, & ab illo exiit animo non redeundi, sed alibi affluendi, vagus est, quouique domicilium figat, sic Thom. Sanchez lib. 3. de matr. cap. 25. à n. 1. usque ad 4. & lib. 1. in Decal. cap. 12. num. 23. sine, & multis allegatis Farinac. lib. 1. praxis quest. 7. n. 1.

2 De his ergo vagis sentit Leonardus Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 7. num. 49. & Sayrus in clauis regie lib. 3. cap. 4. num. 8. idem esse dicendum ac de peregrinis, & viatoribus, cum affluunt peregrinos & viatores nullis legibus oppidi, qua transeunt, attingi; & de vagis cenetur esse idem dicendum? & ita tenet Ioan. Sanch. in suis select. disp. 54. n. 34.

3 At merito ab omnibus alijs Doctoribus rejicitur hæc sententia, etiam ab alijs qui affirmant peregrinos, & forenses exemptos esse à legibus municipalibus, & Episcopalibus. Nam in vagis est specialis ratio cum enim nullibi habeant domicilium, debent illud sortiri ex præsentanea habitatione, alijs omnibus legibus particularibus essent exempti, quod à recta eorum gubernatione distat: & ita tenet Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 18. num. 15. & in Decalog. lib. 1. cap. 12. n. 23. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 11. quest. 13. Salas disp. 24. de leg. sect. 4. num. 55. Bonac. disp. 1. de leg. quest. 1 punct. 6. num. 54. Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 14. num. 20. Ball. de Leon. lib. 5. de matr. c. 7. Lorca 1. 2. tom. 2. disp. 25. in fin. in tract. de leg.

4 Ex quo inferatur vagum puniri posse à iudice loci, in quo capitur, de delicto alibi commissio: sic probat textus cum glossa in lib. 1. C. ubi de criminib. ubi oportet, quam ait Farinac. lib. 1. praxis quest. 7. num. 13. esse communiter receptam.

5 Difficultas autem est, an debeat remitti ad iudicem, vbi commisit delictum, si petatur? in qua re Farinac. lib. 1. praxis quest. 7. alios referens, docet, non esse remittendum necessario, si iurisdictiones sint sub diuersis Principibus, secus si sub vno Principe. Nam quando sunt sub diuersis Principibus, verè iudex capiens vagandum habet iurisdictionem in illum ex præsentanea habitatione; sicut si ibi figeret domicilium. At quando sub eodem Principe versatur iurisdictione, cenetur Princeps nolle delinquentem alibi puniri, nisi in loco, vbi commisit delictum. Cæterum probabilius credo semper delinquentem remittendum esse ad locum delicti, vt ibi puniatur, si à iudice loci illius petatur remissio; quia iudici illius loci ratione delicti subiectus est: neque videtur subiectus iudici loci, qua transit, in punitione delictorum, quæ alibi sunt commissa: nisi ad summum in defectum iudicis, vbi delictum commissum est, quia punitio est ob exemplum, & reparationem scandali datur: quod cum datum solum sit, vbi delictum commissum est, ibi est puniendum, quæ ratio probat, siue domicilium acquiratur, siue non, sic Decian. in matrim. tom. 1. lib. 4. cap. 13. num. 17. & seq. Couart. pract. qq. c. 11. n. 7. Iul. Clar. lib. 3. recept. sent. in pract. crim. quest. 39. n. 7. consentit Azor tom. 1. lib. 4. c. 11. q. 3. sine.

§. V.

An peregrinus, & forensis teneatur legibus suæ patrie, quando alibi est, vbi non vigent.

- 1 Nullus adstringitur legibus extra territorium.
- 2 Quid ex eo inferatur.
- 3 Si animo non seruandi legem à territorio exeat, negant plures te deobligatum manere.
- 4 Probabilius est oppositum, licet amque esse talem fugam.
- 5 Satisfit argum. num. 3. adductis.
- 6 Si in tua parochia sit dies festiuis, & extra non; non teneris Missam audire, si non dicitur, dum ibi assistis, neque illam expectare.
- 7 Si tamen dicuntur plures Missæ à mane, usque ad 12. non potes hora octaua exire Missa non audita, secundum satis probabilem sententiam.
- 8 Probabilius censo oppositum.
- 9 Quid dicendum de ieiunio? affirmant plures te posse ieiunium sumere manè vbi ieiunium obligat, si nocte peruenurus es ad locum, in quo nulla est obligatio.
- 10 Probabilius censo oppositum.
- 11 Cum manè deobligatus fuisti à ieiunio, non teneris vespere illud seruare, defenditur, vt probabilius.
- 12 Si iam impleuisti præceptum communionis, ieiunij, & festi in loco tui domicilij, non teneris illud seruare, secluso scandalo, cum peruenisti ad locum, vbi tunc viget.
- 13 Leges respicientes delictum in territorio commissum ligant subditum extra existentem, quidquid immerito contradicat Bashi. de Leon.
- 14 Beneficiarij absentes absque legitima causa ligantur excommunicatione lata aduersus absentes.

- 15 Fur existens extra territorium ligatur excommunicatione lata adversus illum ob delictum in territorio commissum.
- 16 Statuto municipalitatis obligari potest subditus absens, ad id quod cedit in utilitatem gravem municipij.
- 17 Excommunicatione lata adversus colloquentes cum monialibus ligari beneficiarios, tamen si monasteria extra diocesim existant, asseritur, ut probabile.
- 18 Proponitur obiectio, & resolvitur, quid sit tenendum.
- 19 Ratione rei sita ligari potest absens statuto municipalitatis.
- 20 Communis sententia docet statuto municipalitatis, specialiter in damnum communitatis non cedentes absentes non ligari.
- 21 Contrarium censetur satis probabile.
- 22 Satisfit tacita obiectio.
- 23 Quod dictum est de lege, dicendum est de pena, qua ad sui executionem officium iudicis non requiritur.
- 24 Si censura imposta est alicui delicto, & illud inchoas in tuo territorio, perficitur extra, censura non ligaris, tamen si alij contra sentiant.
- 25 Pena, qua officium iudicis requiritur, extra territorium imponi non potest.
- 26 Potest imponi a iudice, in quo delictum consummatum est, & etiam ab eo, in quo fuit inchoatum, si ibi habeat domicilium.
- 27 Item, esse domicilium non habent, communis sententia docet posse puniri delinquentem a iudice, in quo delictum fuit attentatum, non solum ob attentionem, sed ob delictum, quod alicui consummatum.
- 28 Proponitur quadam obiectio, & fit ei satis.
- 29 Qua dicta sunt de territorio alieno, dicenda sunt de locis exemptis.
- 30 Qua dicantur loca exempta.

**C**ommunis, & recepta sententia est, neminem extra territorium adstringi legibus illius, etiam si leges sint iuris communis; quia extra territorium ius dicitur non pariter imponi, ut est decisio textus in cap. ut animarum, de constitut. in 6. & tradunt ibi Doctores, & in cap. à nobis, de sentent. excommunic. sic Sanchez lib. 3. disp. 18. de matr. n. 18. & in Decal. lib. 1. cap. 12. n. 26. Couat. 4. variarum, cap. 10. n. 8. & in cap. alma, i. part. §. 10. n. 3. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 30. sine. Suarez lib. 2. de sessiuit. cap. 13. n. 2. & c. 14. n. 25. & lib. 3. de legibus, cap. 31. n. 3. Basilius de Leon lib. 5. cap. 8. num. 1. Bonacina disp. 1. de legibus, quaest. 1. punct. 6. n. 59. Salas innumeris referens disp. 14. de legibus, sect. 5. n. 60. Lessius lib. 4. de iustit. cap. 2. dub. 8. Sayrus in clavi regia, lib. 7. cap. 3. num. 1. Ratio est, quia Princeps in lege ferenda bono suae ditionis attendit. Ergo extra suam ditionem nihil impetare potest.

2. Ex quo fit peregrinatio, & forentem accedentem ad locum, ubi ieiunium non servatur, sicuti si veniret Mediolanum, primis quatuor diebus. Quadragagesimae, in quibus carnes vescuntur, posse motibus illius se conformare. Idem est, si Lusitanus veniret Castellam, post die Sabbati intelinis animalium vesci. Et idem est de vicinis vniuersi parochiae, si transeant in aliam parochiam, dicti sic supradicti DD. Suar. Bonacina, Salas, Sanchez, Basilius supra.

3. Sed restant enodandae difficultates. Prima, an si animo eximendi te ab obligatione, qua in tuo territorio adstrictus es, peregrinatus, possis tunc privilegio vti? Negat Petr. de Ledoima de matrim. quaest. 45. art. 5. p. 3. dub. vlt. concl. 1. & 3. fol. 298. Man. 1. tom. i. sum. cap. 219. n. 2. sine. Rebellas de iustit. 2. part. lib. 2. q. 7. sect. 3. n. 16. & inclinatur Salas disp. 14. de legibus, sect. 5. n. 63. circa finem, & Sayrus in clavi regia, lib. 7. cap. 3. n. 12. & specialiter, cum quis ob confessionem faciendam alteri a proprio sacerdote proficiscitur: tenet Gabr. Valquez in 3. part. quaest. 98. art. 2. Mouentur ex cap. sedes, cap. ex tenore, de rescript. ubi fraus, & dolus nemini patrocinari debent: at hic dolus & fraudem committit. Deinde in l. 1. §. iudem aiunt, ff. de aqua plu. arcenda, prohibetur fodiens agrum proprium, si id fecerit animo nocendi alteri, scilicet auertendi fontem vicini, quod si animo fecit meliorem suum agrum reddendi, ei permittitur: at hic animo nocendi legislatori proprio fugit à loco. Ergo ei non est licitum.

4. Nihilominus tenenda est contraria sententia scilicet licitum esse fugere hanc praecipue obligationem, & exire à loco, ubi ieiunium, vel festum viget, animo solum in alio loco, ubi praecipuum non est, laborandi, vel comedendi. Ratio efficax est, quia in hac fuga vitatur iure sibi concessio, neque enim praecipuum, quod in aliquo loco viget, obligat ibi vicinos persistere, sed solum obligat, ut dum ibi adfuit, seruent illud; postquam autem ex illo loco exierint, iam cessat eius obligatio: & ita tenet alios referens Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 18. n. 29. & lib. 1. in Decalog. cap. 11. n. 35. Basilius de Leon lib. 5. de matrim. cap. 9. n. 4. Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 13. num. penult. Bonacina disp. 1. quaest. punct. 6. n. 64. qui omnes docent intendentem contrahere sine parochia, & testibus, seruata tamen antiqua forma, posse se conferre ad locum, ubi non est acceptum Tidentinum: etiam si eo animo faciat, neque obinde peccare, quia non potest dici fraudem committere, utens iure sibi concessio, ex

reg. nullus videtur ff. de regul. iur. & l. 3. §. is tamen ff. de libero homine exhibendo, qua ratione optime aduertit Sanchez ius disp. 18. n. 29. cum Couat. & Sarmient. contrahentem cum concubina in articulo mortis, ea intentione, ut filius legitimus faciat, non peccare, etiam si in fraudem substituti fecerit, quia non potest dici fraudem committere, qui iure vitatur proprio: colligi etiam licet, licere peregrinum habentem casus referuatos, vel alia causa intendentem alteri, quam parochia domicilij confiteri, peregrinari ea intentione, quia vitatur iure sibi concessio, tempore peregrinationis, confiteri, inquam, cui voluerit, non ex concessione proprii parochi domicilialis, sed ex concessione iuris communis, sic expressit Basilius n. 6.

5. Argumenta contraria ex dictis manent soluta: non enim committitur fraus, dum quis iure suo vitatur. Neque in praesenti facis aliquam iniuriam legislatori, ex eo, quod eius obligationem fugias; ipse enim non habet potestatem obligandi, nisi dum in suo territorio extiterit: at egressus ex illo, iam cessat eius iurisdictio. Adde supradictam l. 1. prohibere fossionem agri, cum constat nullo alio fine fieri, nisi damificandi vicino: at in praesenti non potest constare fugam esse ob minuendam iurisdictioem superiorem, sed potius ob commodum tibi inde proueniens. Ergo.

6. Secunda difficultas est, an si in tua parochia sit dies festiuius, & extra non, tenearis audire Missam, aut: quam exas è tua parochia?

Et quidem si nullum est sacrum, antequam exas, etiam si postea futurum sit, censo te non esse obligatum expectare, quia praecipuum Missae non obligat ad expectandum in loco, sed ad audiendum sacrum, cum audiri potest. Contra verò si solum vnum sacrum est, quodque celebratur, cum tu praesens es loco, sine dubio obligatus es audire, quia obligaris praecipuo & est commoditas adimplendi, nec apparet ratio, vnde excusetur: in his conueniunt Doctores statim referendi.

Difficultas est, an quando in tua parochia plures sunt Missae celebrandae, v.g. à mane vsque ad duodecimam, possis non audito facto egressi hora octaua ad locum, in quo Missa dicenda non est, neque illius est obligatio?

7. Negat Suarez lib. 2. de sessiuit. c. 5. circa finem, n. 9. & 10. quem sequitur Basilius de Leon lib. 5. de matr. c. 8. n. 6. Mouentur: quia dum es illo in loco, afficeris praecipuo, & obligatione audiendi sacrum: contracta autem obligatione, non illum pro tuo libito exequere potes, sed illam debes necessario adimplere, quia est praecipuum affirmatiuum, quod obligat implere, quam primum possis, neque suppetit postea via implendi. Et confirmo, si itante illo in loco scies impediendum fore, audire sacrum, necessario hora nona, tenebaris hora octaua sacrum audire, & impedimentum praerentire: & idem est de recitatione horarum, de & communionem paschalis, & generaliter de quolibet praecipuo, quo semel fuisti ligatus, si scias impedimentum tibi esse apponendum, tenearis ante implere: at si in praesenti scis apponendum tibi esse impedimentum, ne audias sacrum, & hoc à tua voluntate; ergo debes antequam impedimentum apponas, sacrum audire.

8. Nihilominus, etsi hoc fit satis probabile: at probabilius credo te non teneri audire sacrum in supradicto casu: docet Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 18. n. 21. & lib. 1. in Decalog. cap. 12. n. 32. Salas disp. 14. de legibus, sect. 5. n. 66. Ioan. Sanchez in select. disp. 54. n. 99. Probo, quia dum ades in illo loco, & sunt plures Missae celebrandae, quibus potes satisfacere praecipuo, non te viget praecipue obligatio: at praecipuum non te obligat à loco non exire. Ergo non te obligat audire sacrum, si non vis exire. Probo consequentiam, quia exiens à loco, iam exemptus es ab obligatione. Et confirmo: si scires tibi esse concedendam dispensationem hora decima à praecipuo audiendi Missam; illo die non tenebaris Missam praerentire: sicuti si scires tibi esse concedendam dispensationem recitandi horas canonicas illo die, non tenebaris praerentire tempus dispensationis, sed egressus à loco, conceditur tibi dispensatio, & egressus nullo iure tibi prohibetur: ergo non teneris Missam praerentire. Secus verò dicendum, si ad locum, ubi obligat praecipuum, proficisceris, in quo tamen sacrum celebrandum non esse sacrum; tunc enim tenebaris audire sacrum, antequam exires, quia tunc illa Missa, quae dicitur, quando vis exire, est reputanda vltima, & vnica. & obligatoria praecipue. Quocirca est aduertendum duplex esse genus impedimentorum praecipue adimplendi: alia sunt impedimenta, quae omnino liberant à praecipuo; alia, quae excusant. Impedimenta quae liberant à praecipuo; non teneris praerentire, neque impedire, etsi possis: quia ratione non teneris impedire dispensationem, quae te omnino liberat à praecipuo: at impedimenta, quae solum excusant à praecipuo, quia praecipuo manes subiectus, ut sunt infirmitas, ignorantia, obliuio, detentio & similia, tenebaris praerentire, ut praecipuo satisfaceres, neque tibi licitum erat quaerere hae impedimenta, ut ab obligatione praecipue liberaretis: at dispensationem praecipue, & egressum à loco ubi obligat, nullo iure auerit te non posse quaerere. Ergo. Et per haec solutum manet argumentum contrarium.

9. Tertia difficultas est, an idem dicendum sit de ieiunio: in

in tuo enim oppido est dies ieiunij, extra non est; poteritne in tuo oppido carnes, & ientaculum fumere manē, si scias vespere factum esse in loco, ubi ieiunium non feruatur?

Et quidem omnes conueniunt te existentem in loco, ubi ieiunatur, non posse carnes comedere, quia obligatio abstinentiā à carnis obligat pro singulis momentis, & quolibet momento integrè adimpleri potest: ergo teneris illa obligatione dum es in tuo oppido. Dubitatio solem est de ientaculo fumendo, an, inquam, fumere illud possis manē, sciens vesperate deobligatum esse à ieiunio? Affirmat Sanchez. disp. 18. n. 11. Et in Decal. lib. 1. c. 11. n. 34. Lessius lib. 4. cap. 12. dub. 8. n. 57. Salas disp. 14. sect. 5. n. 68. Suarez lib. 2. de relig. tom. 1. cap. 12. fine. Et lib. 3. de leg. cap. 32. n. 3. Ioan. Sanchez innumeris referens disp. 54. de ieiunio, n. 27. Et 30. Mouetur, quia obligatio ieiunij est indistinctibilis, consistens in unica cōmissione; quare semel ieiunio violato, nulla est obligatio: ac ieiunium nocte obligatum non est. Ergo neque obligabit summo mane. Neque obitit causam nondum adesse, sufficit moralis illius certitudo; sicut irurus ad exerecandum opus feruere, potest cibos fumere, antequam exeat, non obstante ieiunij præcepto, quamvis causa excausandi non extet, impediturque possit.

10 Ceterum hæc sententia mihi non probatur, quia nullus potest excusari à præcepto ob moralem certitudinem superuenientis dispensationis, quia non spes dispensationis, sed dispensatio ipsa obligationem præcepti tollere potest: atqui existens in loco ubi ieiunium feruatur, obligatur ieiunio. Ergo non potest ab illo excusari ob spem existentie in loco priuilegiato postea futuræ: aliis non existentia in loco priuilegiato, sed spes, & voluntas illius priuilegium concedere. Neque est simile de laborante, cui enim labor est necessarius, eo ipso à ieiunio excusatur, non ob laborem existentem sed ob necessitatem illius: quocirca dicimus communiter laborantes deobligatos esse ieiunare diebus festiuis, non solum ob defatigationem laboris præcedentis dici, sed ob necessitatem ad laborandam die sequenti. Sed necessitas, aut voluntas obtinendi dispensationem, aut existendi in loco priuilegiato, non eximit à ieiunio. Ergo manes illo obligatus: & ita tenet Basil. de Leon. lib. 5. cap. 8. num. 3.

11 Sed quid dicendum, si manē deobligatus fuisti à ieiunio, vel quia non impleuisti 21. annos, vel quia fuisti in loco, ubi non feruatur ieiunium, & abique illius violatione peruenis ad locum domicilij, ubi ieiunium feruatur, poteritne in reliqua parte diei ieiunium non feruare? Negat Th. Sanch. lib. 1. c. 12. n. 33. Lessius lib. 4. cap. 1. dub. 8. num. 57. Basil. de Leon. lib. 5. de mar. c. 8. n. 3. Mouetur, quia absolute potes præceptum feruare, & illo teneris, cum es in loco domicilij. Ceterum credo esse satis probabile in præsentis casu te non esse obligatum. docet Ioan. Sanchez disp. 54. sect. 4. n. 4. Et 26. Quia præceptum ieiunij, seu abstinentiæ à duplici cōmissione, respicit totum diem integram, ut inuiduam obiectum: non enim per mandatum ieiunij, præcipitur dimidium diei, vel quartam partem ieiunare, sed totum diem. Igitur exieris à ieiunio per aliquam partem, totaliter liberatur illo die, cum præceptum illud, vel totum diem comprehendere debeat, vel nullam partem illius. Et confirmat ex principiis Sanchez, Lessij, & aliorum dicentium, si accesseris sis ad locum, ubi non feruatur ieiunium, possis in loco domicilij, ubi feruatur, prandium fumere quia sufficit, quod nocte cenare possis. Si ergo quod nocte debeas esse exemptus ab obligatione, honeste cōmissione in loco domicilij, ubi viget præceptum, etiam similiter honeste, quod fueris manē exemptus.

12 Quarta difficultas est de eo, qui existens in suo oppido, præceptum confessionis, & communionis, ieiunij Quadragesimalis, & festi expleuit, peruenit tamen ad locum, ubi tunc obligat, quod sæpe contingere potest ob non receptum novum Kalendarium Gregorianum: an inquam, hic sit obligandus cōfessionem illius loci, præcipue si ibi figat domicilium? Basil. de Leon. lib. 5. de matrim. cap. 8. fine. A præcepto communionis, & confessionis excolat; secus verò à præcepto ieiunij, & festi; & rationem differentiæ reddit, quia præceptum communionis, & confessionis personas alligat independentem à loco; quare qui illi obligationi fecerit satis non videtur amplius teneri, aliās ad bis communicandum in anno obligaretur; secus verò dicit esse dicendum de ieiunio, & festo, quæ personam in ordine ad locum adstringunt. Verum in utroque casu idem censo dicendum, neminem scilicet, secluso scandalo, teneri obseruare festum, & ieiunium, sicuti neque communicare, si iam in sua parochia tali festo, & ieiunio, communioni parochiali satisfecit; quia hoc præceptum adstringit fideles, non bis, sed semel in anno. Ergo fideles, qui iam semel illi præcepto satisfecerint, amplius illo teneri non possunt. sic docet Lessius lib. 4. de iust. c. 2. dub. 7. n. 12. Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 11. n. 22. Bonacina disp. 1. q. 1. punct. 6. num. 57. Salas de leg. disp. 14. sect. 4. in princ. n. 37. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 25. quæst. 2.

13 Quinta difficultas est quid dicendum sit de legibus, & præceptis respicientibus delictum in territorio commissum, an ligent subditum extra existentem? negat Basilus de Leon. lib. 5. c. 7. n. 20. cum Gab. in 4. dist. 28. quæst. 2. conclus. 6. Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars I.

neque aliam rationem adducit præter textum in c. ut animam. de constitution. in 6. ubi extra territorium ius dicenti non pareat impunè. Quocirca dicit Episcopum non posse sententiam excommunicationis ferre, contra subditum suum existentem in alieno territorio, etiam pro delicto commissum in suo territorio.

Rejicienda tamen est hæc sententia utpote contraria expressis iuribus, consuetudini, & rationi, & amplectenda communis assertans posse subditum extra territorium existentem, ligari legibus territorij, si delinquat in territorio. Quare ut extra territorium subditus ligari non possit, debet ipse, & res circa quam operatur, & operatio ipsa extra territorium esse, nam si aliquid ex his intra territorium existit, ligari legibus territorij potest, sic docent communiter Doctores, Syluest. verbo excommunication. 2. n. 8. Angelus num. 10. Volpinus de censur. tab. 1. cap. 9. §. 3. fine suarez tom. 5. in 3. p. disp. 5. sect. 4. Et 5. Et lib. 3. de legibus, cap. 32. n. 8. Bonacina disp. 1. quæst. 1. punct. 6. num. 67. Couarr. cap. alma. 1. part. §. 10. n. 3. Salas de legibus, disp. 14. sect. 5. à num. 71. Conclusionem probo, quia existens in alieno territorio potest delinquere in territorio. Ergo potest à iudice territorij puniri eius delictum: si enim iudex territorij potestatem non habet hæc puniendi, plenam potestatem non habet præcauendi sibi noxia: ne ergo dicamus imbecillum, & inefficacem potestatem esse, affirmare debemus posse subditum existentem extra territorium delinquentem tamen in illo punire. Quod autem subditus existens in alieno territorio, possit in territorio delinquere, constat, quia extra territorium existens potest emitte sagittam, & occidere hominem in territorio existentem. Ergo delinquit tunc in territorio: & si in illo est excommunicatio lata aduersus occiso, est ligabitur illa: sicuti si esset excommunicatio lata aduersus occidentes in Ecclesia, & existens extra sagittam mitteres, qua aliquem existentem in Ecclesia occideres, quis dubitare potest te excommunicatum fore? quia delictum plene est factum in Ecclesia, etsi extra fuerit inchoatum.

14 Ex his inferitur primò. Si in Episcopatu Salmanticensi sit censura lata etiam per statutum ipso facto aduersus beneficiarios à sua Ecclesia sine legitima causa absentes, ligare beneficiarium extra diocesim existentem, quia delictum commisit in diocesi: cum enim in diocesi deberet esse præsens, cap. ex tua, de clericis non residentib. & omittat præsentiam, ibi censetur omittente, ubi præsens esse debebat, iuxta l. qui non facit, ff. de regulis iuris. ibi, qui non facit, quod facere debet videtur facere aduersus ea, que non facit, & colligitur ex cap. 1. de usuris, in 6. in d. glossa, Et cap. 1. ut lite non contestata, & tradunt Syluest. Angel. Suarez, Bonacina, Salas, & alij supra.

15 Inferitur secundò, ligari furem existentem extra territorium excommunicatione lata aduersus furantes, nisi intra mensem satisfecerint, vel se sistant iudici delicti, vel domicilij, in quo est lata excommunicatio; quia tunc delinquit domicilium non se præsentando iudici illius, ex suppositione, quod iudici delicti non se præsentauit, neque satisfactionem fecit, tradit expressè Azor, quæst. 2. Angel. & Syluest. supra, & Salas num. 76. fine.

16 Inferitur tertio, statuto municipali obligari posse absentem subditum ad id, quod cedit in vitiatem grauem municipij, & puniri si id non faciat, quia tunc non punitur propter delictum, extra territorium commissum, sed in iniuria enim, & offensa, & damnum municipio proueniens intra, censetur factum moraliter, etsi physicè extra fiat, sic Couarruias, Suar. Salas, & reliqui communiter: qua ratione ligabitur censura lata per statutum aduersus extrahentes triticum à ciuitate, vendentes arma barbaris, & alia similia qui hæc fecerint, quia esto actiones materiales, & physicæ extra diocesim sint, ad damnum, & iniuriam diocesi irrogatur, & in illa moraliter existit: ea de causa merito puniri potest, & decidit in l. nemo, 2. C. que res exportari non debeant, ubi prohibentur arma illa, aut ferrum vendere barbaris, hoc est, hostibus Romani imperij, & in l. fin. C. de panis, cauetur, ne scientia subieciarum nauium hostibus communicetur. Idem est si Princeps caueret, ne subditus extra prouinciā mercaturam exerceat, quia videtur in damnum, & iniuriam reipublicæ cedere, ut tradit Roman. singul. 516. facique l. 2. C. de eunuchis, ubi cauetur, ne eunuchi Romani, ad dominum cuiusque transferantur, quod intelligi debet, quando is, qui transfert, subditus est Romanorum Principi: hoc dixi ut conciliarem diuersas sententias communiter versantes in intellectu legis Lusitanicæ, quæ prohibet, ne mancipia se vendant: nam Salas n. 77. affirmat nequaquam se vendi posse, etiam si existant in loco, ubi est consuetudo, ut qui vult, se vendat: contrarium enit Mo in tom. 1. de iustit. disp. 33. vers. sciendum est, in fine. Dicendam ergo est, si mancipium amittit domicilium, ut verè censendum est amittere, cum se vendat alteri à Lusitano, non tenebitur lege, quia tunc non est subditus; secus verò si se vendat Lusitano, quia non videtur amisisse domicilium.

17 Quarto potest aliquis inferre, si statutum sit in hac diocesi Salmantina, ne vllus clericus, sine speciali licentia sui Episcopi ad monasteria monialium, & vicumque sint, L accedat,

DE  
ASTRO  
DALAN  
TON  
ELY

accedat, & ibi colloquatur, ligati excommunicatione eo accedentes, etiam si monasteria extra diocesim existant, quia delictum est aduersus dignitatem, & decentiam status clericalis huius Episcopatus, quam decentiam, & honestatem illa lege intenditur praecauti, quia illo accessu, & collocazione labefactari censetur: factique ad id *l. mercatores, C. de commerciis, & mercatoribus*, ubi prohibentur ciues Romani habere commercium cum Perlis, quia non erant imperio Romano subiecti, & *l. fin. ff. de decret. ab ordine faciend.* habetur, ne extra municipium eat aliquis ad commercia. Ergo iam lege municipali, possunt subditis aliquae actiones prohiberi cedentes in damnum municipij, & ita tradit Barr. in *l. cum quos populos, C. de summa Trinit. Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 25. quest. 4. Salas disp. 14. sect. 6. num. 86.* Aduerto tamen sufficienter debere explicari actionem extra territorium factam, ut lege comprehendi censetur.

18 Sed aduersus hoc cotollatum obijcies: Quia ex eo videtur inferri nullam esse legem, quae subditos existentes extra proprium territorium ligare non possit, cum quolibet lex bonum communitatis respiciat, & de violente illam dici possit iniuriam, & damnum, vel in fortuna, vel in opinione reipublicae facere. Consequens autem videtur esse contra expressam declarationem textus in *cap. ut animarum, de constitut. in 6.* ubi extra territorium ius dicenti non paratur impune: quem textum, etiam Barr. explicet in *l. 3. C. de summa Trinit. num. 45.* & 46. de legislatore absolute ferente legem, neque explicante an velit extra territorium extendere, & dicat talem legem debere ad territorium restringi: at si expresserit suam voluntatem, ut extra territorium procedat, affirmat subditos ligari posse. Caeteri vero Doctores, ut videtur in Covarr. *cap. alma, 1. part. §. 10. n. 3.* Nauatt. *cap. 17. n. 272.* Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 5. sect. 5. n. 17.* & de legibus, *lib. 3. cap. 32. n. 4.* hanc interpretationem omnino rejiciunt, & affirmant nullum iudicem extra proprium territorium posse ius dicere, quantumvis velit, quod si dicere attenter, posse illi non parere abique delicto, & merito punitionis. Quocirca respondeo dupliciter actionem prohibitam per legem, & in territorio alieno exercitam, cedere posse in iniuriam, & damnum reipublicae, a qua prohibetur, vel generaliter, vel specialiter. Si specialiter cedat in iniuriam & damnum reipublicae, ut contingit in lege prohibente extractionem fumentum a ciuitate, venditionem armorum exteris, & similia, absque dubio censo existentes in alieno territorio ligari posse supra dicta lege. At si solum generaliter cedat in iniuriam, & damnum reipublicae, quae tulit legem, quia scilicet non magis cedat in eius iniuriam, quam in iniuriam alterius reipublicae, ut contingit in lege, & statuto prohibente furtum, stuprum, homicidium, & etiam in statuto prohibente clericis accessum ad monasteria monialium, comitatum seminarum: haec enim omnia aequae labefactant decentiam, & honestatem status clericalis illius reipublicae, quae tulit legem, quam alterius cuiuslibet; ac proinde his statutis, & legibus non ligantur absentes.

19 Inferatur quinto ratione rei sitae ligari posse absentem statuto municipali, quia ratione rei sitae foritur quis forum, *cap. fin. de foro competenti, & probat text. in cap. Romana, §. contrahentes, eodem tit.* Quocirca fieri potest statutum, ne res aliqua, domus, ager, &c. vendantur, nisi tali forma, & solemnitate, ligat enim tunc vendentes, etiam si extra territorium sint, iuxta *l. 1. ff. de fundo dotali.* & praeterea, quia harum legum obseruatio credit in utilitatem reipublicae, & illarum violatione in graue illius damnum, ac proinde delictum committi censetur in diocesi, non extra.

20 Sexta difficultas, an possit dari statutum ligans delinquentes subditos extra territorium, etiam si delictum nos cedat specialiter in damnum reipublicae statuentis?

Communis est sententia dari non posse, ex supra dictis, *cap. ut animarum*, ubi non attenditur factum, sed potentia, redditur enim ratio, quare existentes extra territorium statuti Episcoporum suorum non ligentur, quia ius dicenti extra territorium non paratur impune, hoc est, attentanti dicere ius extra territorium, absque punitione non paratur: sic ferit omnes Doctores in *prin. huius §. relati.*

21 Verum si liceat mihi dicere, quod sentio, existimo esse satis probabile, posse ligari lege, & statuto delinquentes, in alieno territorio: atque adeo posse sub excommunicatione ipso facto incurrere, prohiberi subditis, ubicumque existant, furtum, homicidium, adulterium, & quamlibet aliam actionem prohibitione dignam. Probo, quia per sententiam, & generale praecceptum haec prohiberi possunt, ut cum communi sententia docet Suarez *3. p. tom. 5. disp. 5. sect. 5.* Bonacina *censur. disp. 1. quest. 1. punct. 11. num. 11.* Ergo etiam prohiberi possunt per legem, & statutum. Probo consequentiam: nam qui sententiam, & praecceptum generale imponit, ius dicit, sicuti cum legem imponit: si igitur per praecceptum dicere potest ius in existentes in alieno territorio, cur non dicere poterit per legem? Affirmare namque legem adstringi territorio secus vero praecceptum, hoc est, quod euertere conatur, & rationem huius petimus: utramque enim tam generale praecceptum, quam

legem ob bonum territorij feruntur. Praeterea nullum sequitur inconueniens, ex eo quod existentes extra territorium ligentur lege, potius, quam praeccepto. Non enim ex hoc specialiter labefactatur iurisdictio iudicis, in cuius territorio delinquens existit: siquidem in eius territorio, & ditone nullum, actum iurisditionis contentiose legislator exercet. Nam ibi non citat reum, neque comprehendit, neque punit punitione, quae secum delictum non trahat, quaque praeccepto imponi non possit.

22 Neque obstat, si obijcias extra territorium neminem posse exercere iurisditionem contentiosam; at imponendo legem exercetur iurisdictio contentiosa, quia iurisdictio contentiosa illa est, quae in initium redditur, ut dixit Accursus. communiter receptus in *l. 2. ff. de officio Praefectus, & semper censetur quia inuitus sustinere obligationem legis sibi impostam. Ergo. Non, inquam, obstat, quia hoc argumento probaretur neque praeccepto generali, neque speciali posse existentem extra territorium ligari, cum obligatio praeccepti, sicut & legis, censetur inuitum adstringere. Quocirca dicendum est, contentiosam iurisditionem non esse, quae redditur in initium praecise sed quae indiget testibus, citatione, aut alia iuris solemnitate. Quando ergo solum a voluntate obligantis pendet, ut contingit in praecceptorum impositione, non contentiosa iurisdictio, sed voluntaria potius appellanda est. Adde aliud esse legem imponere, aliud lege obligare; omnia enim illa, quae ad legis impositionem necessaria sunt, extra territorium exerceri nulla ratione possunt, quia extra territorium lex promulgata non potest: at effectus ipsius legis, qui est obligatio, extra territorium esse potest, cum officia insensibiliter personas, sine strepitu aliquo iudicij. Censet ergo in omnibus illis casibus, in quibus praecceptum generale imponi subditis potest extra territorium existentibus, & legem imponi posse. Et contra in omnibus illis casibus, in quibus statutum ferri non possit aduersus extra territorium delinquentes; neque praecceptum posse ferri, sic docuit Salas *disp. 14. de leg. sect. 7. num. 90.* & insinuauit *sect. 5. n. 80.* & *segg.* & Basil. de Leon. *lib. 5. de matrim. cap. 7. §. 2. qui num. 19.* dicit se nullam differentiam inuenire in excommunicatione lata per sententiam vel per modum statuti.*

23 Septima difficultas, an ea, quae dicta sunt de lege, dicenda sint de pena per legem imposita?

Et quidem si pena iudicis executionem non requirit, sed ipso facto contrahatur, ut contingit in censuris ipso iure latis, eodem profus modo dicendum est, ac diximus de lege, & praeccepto; illos enim omnes, quos lex, seu praecceptum comprehendere potest, poterit & censura comprehendere. Et contra qui extra territorium existentes lege non ligantur, neque censura per legem imposita ligari possunt, quia censura est pena transgressionis legis, & ubi nulla est transgressio, nulla esse poterit pena imposita; & in hoc nulla potest esse dissensio.

24 At contingere potest, ut in tuo territorio inchoes delictum, & in alieno consummes: ut si existens in tuo territorio occideres existentem in alieno. Item decepti in territorio proprio virginem, extraxisti in territorio, & in alieno violasti.

In hoc ergo casu placuit Vgolino *lib. de censur. tab. 1. c. 9. §. 3. sine,* te contrahere censuram homicidio, & stupro impositam, quia sufficit inchoare delictum, ut ratione illius subditus sit iudicij illius loci, ubi inchoatur.

Caeterum tenenda omnino est contraria sententia te nullo modo contrahere censuram ipso facto, quia censura non est imposita ob inchoationem delicti, sed ob eius consummationem: at consummatio est extra territorium, & consequenter extra iurisditionem iudicis legem imponentis. Ergo, sic Suarez *tom. 5. de censur. disp. 5. sect. 4. num. 8. & §. 9. & lib. 3. de leg. cap. 32. n. 5. & 6. Syluest. excommunicatio 1. n. 8. Angel. ibi n. 10. Salas disp. 14. sect. 5. n. 71.*

25 Quod si de pena: quae iudicis executionem requirit loquamur, primo certum est nullum iudicem extra territorium illam imponere posse, quia est actus iudicij & iurisditionis contentiose, sive ob delictum inchoatum, sive consummatum imponatur.

26 Quis autem index illam debeat imponere, an iudex loci, in quo delictum fuit inchoatum, an iudex illius, in quo fuit consummatum?

Recepta est omnium sententia puniri posse a iudice loci, in quo delictum est consummatum, etiam si ibi non habeat delinquentis domicilium, quia verè ibi delictum est commissum, & ratione illius loci territorium. Ergo gubernator illius habet potestatem iniuriam sibi factam vindicandi. Deinde conueniunt Doctores, si in loco, in quo delictum est inchoatum, habeat delinquentis domicilium, poterit ibi puniri, non solum pena debita delicto attentato, sed etiam consummato, quia ratione domicilij subdita est persona delinquentis iudicij domicilij.

27 Quarta ergo solium est, an casu quo delinquentis non subdatur iudicij loci, in quo delictum attentatur, nisi ob attentatio

attentionem delicti alibi consummati, postulat index delinquentem punire ob delictum consummatum, v. g. Castellae vulnerasti Petrum, occidisti Lufitanie. Castellae rapuisti puellam, violasti Lufitanie potestine à iudice Castellae ob occisionem & stuprum puniri. Communis sententia docet te puniri posse. sic tradit Felin in c. fin. de foro competenti, n. 13. Abbas in cap. postulat, eodem tit. num. 25. Bart. in l. dominum, ff. de iuris, Matilius in l. unica, n. 150. C. de rapto virginum. Bald. in l. si quis non dicam, rapere, n. 3. C. de Episcopis & clericis, Suarez de censuris, disp. 5. sect. 4. n. 8. & 9. Salas de legib. disp. 14. sect. 5. n. 61. Farinac lib. practis, tit. 1. quest. 7. num. 45. Ratio est, quia cum inchoatio delicti sit consummationi coniuncta, ubi delictum est inchoatum, ibi etiam reputatur consummatum ac proinde tanquam consummatum puniri potest. Deinde inchoatio, & consummatio delicti vnum delictum ceteri debet vnoque loco factam, ac proinde in vtroque loco æquè punibile.

28 Ceterum hæc communis sententia non legem patitur difficultatem, quia in re ipsa & rigore iuris, aliud est inchoare delictum aliud illud consummare. Quapropter sæpè delictum inchoatum non imponitur ea pena, ac delictum consummatum. Ergo si delictum consummatum est extra tuam iurisdictionem non poteris ob illius consummationem delinquentem punire, quia solum potes illum punire ob iniuriam tibi factam: ac non fecit iniuriam in delicto, propterea est consummatum. sed solum propterea est attentatum. Ergo solum attentionem, & non consummationem poteris index punire. Confirmitur, Si mandata alicui occidere Petrum, & Petrus à mandato esset occisus in alio territorio, ab eo in quo deditur mandatum. secundum communem sententiam, non posses in loco mandati puniri propter debita occisionem, quando mandato talis pena imposita non est, sed es remittendus ad locum, in quo occisio facta fuit, vt docent Abbas in c. fin. de foro competenti, Iulius Clarus in pract. quest. 38. versic. item quare, & alij plures relati à Farinac. num. 47. et ipse plene non assentiant. Sed hoc nulla alia ratione contingit, nisi quia obligatio in mandante, non ex mandato, sed ex delicto ex mandato sequitur oritur: sed etiam obligatio homicidii, stupri, non ex attentione homicidii, & stupri oritur, sed ex huiusmodi delictis in re executis Ergo non potest delinquentes in loco attentionis, ob delictum alibi consummatum puniri, & ita tenet Bart. in l. libellorum, ff. de accus. Felin in cap. fin. de foro competenti, n. 14. Alexand. plures referens consil. 75. n. 6. vol. 3.

Retinenda tamen est communis sententia, posse, inquam, iudicem loci, in quo delictum fuit inchoatum, punire eius consummationem, Moneor ratione consuetudinis iure gentium introducere, quæ ne delicta maneant impunita, vtrique iudici delictum integrè subdit: facitque l. 1. C. ubi de crimine, agi oportet, ubi commissum, vel inchoatum sunt. Neque obstat ratio in contrarium adducta quia inchoationis delicti via paratur consummationem: & licet consummatio, quoad actionem physicam sit in alio territorio; ac moraliter in eodem territorio fieri censetur. Præterea esto non laetatur consummatione, potest ius ratione inchoationis subdere personam puniendam quoad totum delictum, quod fere non subdidit in mandante. Esto Farinacio non abique probabilitate videatur mandantem, & recipientem mandatum in loco mandati puniri posse de delicto consummato. Neque obligatum esse iudicem mandati, etiam si petatur sed debere tunc consulere Principem.

29 Octava difficultas, an quæ dicta sunt, de territorio alieno, intelligi debeant de locis exemptis etiam intra diocesim existant.

Respondere debere, ita ex communi sententia docet Suarez supra dicto loco de censuris, & lib. 4. de legib. c. 32. sine num. 9. Bonacina disp. 1. quest. 1. punct. 6. n. 65. Azor. tom. 1. lib. 5. c. 25. q. 4. Salas plures referens disp. 14. sect. 6. in princ. n. 85. Ratio est, quia illo vocatur exempta, quia eximuntur à iurisdictione illius, cuius sunt exempta. Ergo ille non poterit iurisdictionem contentiosam ibi exercere, nisi in casibus à iure expressis & decedat in Clement. Archiepiscopo, de privileg. facitque c. cii. Episcopus de offic. ord. in 6. vbi communiter Doctores. & c. 1. de privileg. con. lib. 6. cap. vnic. & fin. de statu regularium in 6. Quod si ad obligandum legibus, & præceptis exerceri debent iurisdictione eo in loco in quo obligatio imponitur, nullo modo possent exerceri in locis exemptis, extra casus à iure exceptos. At iam diximus legibus, & præceptis obligati posse subditos extra territorium existentes, quia hæc obligatio cum insensibiliter fiat, neque indiget citatione, & notificatione facta in loco exempto, optinè poterit subditos ibi existentes afficere.

30 Sed inquires, quæ dicantur loca exempta.

Respondere loca exempta esse illa, in quibus index territorii exercere iurisdictionem non potest, sed alterius iurisdictioni subdantur, Monasteria monialium, & conuentus religiosorum, in quibus sui superiores Episcopalem iurisdictionem non habent, nullo modo reputo exempta, quia illa non sunt exempta, sed persone ibi habitantes exemptæ dicantur. Quapropter censæ subditos territorii illuc accedant.

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars I

dentes ligari præceptis, & statutis lati pro suo territorio: & ita docet. Suarez de censuris, disp. 5. sect. 4. n. 10. & Salas de legibus disp. 14. sect. 6. n. 85.

§. VI.

Qua ratione legibus civilibus obligentur clerici, & religiosi.

- 1 Legibus Ecclesiasticam libertatem violantibus ligari non possunt; secus legibus, quæ eorum status convenientes sunt.
- 2 Hic legibus ita graviter, ac laici obligantur clerici quidquid, Nauarr. sentiat.
- 3 Hac obligatio secundum plurimum sententiam nascitur ex conformitate, quam clerici debent habere cum laicis eiusdem reipublicæ.
- 4 Alij dicunt ex sola approbatione Pontificis
- 5 Resistantur supra dicti modi dicendi.
- 6 Probabilis est hæc leges per se, & directe clericos obligare quoad vim directivam.
- 7 A potestate coercitiua, & punitiua omnino clerici exempti sunt.
- 8 Proponitur quedam obiectio.
- 9 Supradicta obiectio fit satis.
- 10 Religiosi legibus civilibus eodem modo obligantur, & deobligantur, sicuti clerici.
- 11 Constitutionibus Episcopalibus deobligantur exceptis casibus à iure expressis.

1 Quæstio non procedit de legibus Ecclesiasticam libertatem ledentibus; quales essent illæ, quæ clericos solum, & eorum bona respicerent; constat enim his legibus vt pote iniustis, minime ligari, ex cap. quaquam, de censuris, in 6. cap. Ecclesia, cap. quæ in Ecclesiis, de censuris, cap. nouerit, de sentent. excommunicat. cap. vltim. de immunit. Ecclesiarum in 6. cap. diligenti, cap. significasti, de foro competenti, & tradit Trident. sess. 25. cap. 20. de reformat. Sed questio solum est de legibus, quæ clericorum statutum non debeat commensuare sunt clericis, & laicis, & rectæ gubernationi ciuitatis convenientes. Talis est lex, quæ prohibet arma noctu deferri, merces ex ciuitate extrahi vel quæ signat pretia rebus vendendis, & contractibus formam imponit. Ab his ergo legibus & eorum obseruatione conueniunt Doctores aduersus Nauarr. cons. 3. de consuet. conclus. 3. m. 4. clericos exemptos non esse: sic docent Valquez 1. 2. disp. 167. cap. 4. Saytus in clauis regia. part. 1. lib. 3. cap. 4. numer. 16. Salzedo in pract. canonic. cap. 55. Couar. in pract. cap. 33. Suarez de legibus, cap. 34. numer. 6. Salas disput. 14. sect. 8. numer. 94. Bonacina disput. 1. quest. 1. punct. 6. numer. 29. Molin. tom. 1. de iustit. tract. 2. disputat. 31. sub fin. conclus. 6. Bellarmin. lib. 1. de clericis cap. 28. & alij plures ab eisdem relati.

2 Difficultas autem est, quanta sit hæc obligatio, & vnde nascatur?

Et quod ad primum attinet. Nauarr. consil. 3. constitur. conclus. 3. n. 4. existimat nullam esse obligationem, quia non tenentur his legibus, vt pote non fauorabilibus, sed potius odiosis, & præiudicialibus, quia non de contractibus, sed de delictis loquuntur. consentit ex parte Bonacina disp. 1. de legib. q. 1. punct. 6. n. 33. dicens non peccare mortaliter, sed tantum venialiter, postico, quod indirectè solum tenentur legibus civilibus. Verum reliqui omnes Doctores affirmant teneri his legibus eadem obligatione, ac tenentur laici, quia non apparet vnde remanatur eis obligatio, si semel ponamus legibus illis adstringi.

3 Quoad secundum vero vnde nascatur hæc obligatio, Valquez disp. 167. c. 4. existimat nasci solum ex conformitate, quæ teneri debent clericis cum laicis vt pote partes eiusdem Reipublicæ, non ex eo, quod legibus civilibus directè adstringi possint, idem tenet Azor tom. 1. lib. 5. c. 22. quest. 3. & tom. 2. lib. 9. de imperat. cap. 7. quest. 8. & 9. Salzedo in pract. canonic. cap. 55. versic. non tamen intelligas, Moneor quia potestati civili nulla est attributa potestas imperandi personis Ecclesiasticis, vt expresse dicitur in cap. Ecclesia S. Marie, de constitut. c. decernimus, de iudiciis, cap. seculares de foro competenti, in 6. Sed sine potestate, imperandi, obligatio obediendi esse non potest. Ergo Ecclesiastici nullam habent obediendi obligationem legibus civilibus, quæ leges civiles sunt. Et confirmo, quia iudices laici nullam habent potestatem puniendi clericos transgredientes suas leges. Et signum est non habere potestatem directam illos obligandi, quia potestas coercitiua semper est directæ coniuncta Restat ergo vt aliunde oriatur obligatio: at ex nullo alio capite videtur posse oriri, nisi ex conformitate, quam omnes partes reipublicæ debent inter se habere. Ergo ex illo capite oritur,

L 2 4 Pro